

rorum, quæ in hunc sensum recepta nihil detrahit nostræ.

39 Nec secundo loco obstant Rotæ decisiones, 2. aliàs 113. de re judi. in novis; & decisio 28. aliàs 517. eodem titulo in antiquis, supponendo in attentatis tres fuisse latas sententias conformes; ac per tres instantias itum, quod non potest esse absque appellatione à prima, & sic successivè à secunda, quibus facillè patet responsio, etiam nostra opinione retenta, cum in ea appellatio permittatur, ut dictum est, & sic bene potest pervenire ad tres instantias, & tres conformes, præcedente executione prioris, appellatione non obstante, imò multi possunt dari casus, nihil intentioni nostræ, & æquæ resolutioni detrahentes; quibus attentatorum revocatio non fiat, nisi post tres conformes, prout contingit, quando prima sententia, & secunda lata sunt contra attentata passum, estque revocatio denegata, à quibus potest ipse appellare quoad utrumque effectum, ut mox dicitur, & ita necessariò debet ire per tres instantias, & tres conformes, anteaquam attentati revocationem consequatur, ut aliàs diximus, instrumento Camerali, quia si in prima sententia denegata est ejus executio, & sic contra creditorem referatur, tenetur spectare tres conformes, anteaquam instrumentum exequatur, nisi sit postmodum aliqua pro se lata, qua recuperet privilegium executionis; quia semel prohibitionem evasit. Idem est dicendum in judicio legis fin. C. de edicto divi Adri. Scin alimentis, multis, & similibus, quia lata prima sententia contra possessionem, alimenta petentem, admissa appellatione quoad utrumque effectum, & in tota causa tres sententia necessariò executoriales spectandæ sunt; quousque aliquam favorabilem actor consequatur; ut nos latè Deo dante de hac quæstione agemus infra, part. 3. multis capitibus, & præcipuè cap. 4. per totum, ubi latissimè de hoc articulo tractatur, cum distinctione juridica procedendo.

Alios etiam casus possumus constituere, ut verificentur præfata Rotæ decisiones, aded ut in nihilo nostra opinio lædatur, quos ad id proposuit Lancelot. de attent. 3. p. c. 28. n. 96. versic. ad tertium similiter, quod possunt dari tres sententiæ in causa attentatorum, vel quia passus attentata, in cuius favorem fuit lata prima sententia, minimè attendit in hujusmodi privilegio, & sic negligens vel ignarus non perit ejus executionem, sed curando tantum eam defendere, ne sibi revocetur, cundo in sequelam appellationis, ut multoties contingit.

*Ojo seba
debidet
las puelle
nunk que
jura de
de de*

Potest in hoc etiam evenire, vel expresse accedente partium consensu, vel tacito; ut quia etiam is, qui est attentata passus, hoc suæ sententiæ privilegio abuti malit, pro tam brevi tempore, ne forte ipsa postmodum revocata sententia, per alias tres patiatur gravamina, & incommoda, quæ accidere solent in repositio- ne executionis erga restitutionem possessionis adeptæ fructuum, & expensarum, qui, vel quia multum confidens de sua justitia causæ principalis malit, litium anfractus, & dilaciones succidere pro ea diffinitivè consequenda; prout ego vidi non paucos litigatores hanc facere considerationem; ac ideo quod tacitè ex mente prædictorum Doctorum, & Rotæ decisionum deducitur, non urget, quoniam non debet attendi, quod de facto factum est, sed quod de jure fieri debet. Rota decis. 58. aliàs 412. si appellatur, de appellationibus in novis, quia cum nostra opinione rectè potest concurrere, eique omnino adaptari, & quod magis est, in favorem retorqueri secundum intelligentiam à nobis assignatam.

40 Quibus suppositis, in hac quæstione potest constitui regula, judicem nullo modo vim facere, si appellationi emissa à sententia lata pro revocatione attentatorum non detulerit, cum tunc à jure non cogatur de-

ferre, imò sententiam suam absque metu & reatu attentati possit ad effectivam, & actualem executionem trahere; quæ regula adaptatur tam nostræ æquissimæ opinioni, ut quoad suspensivum hoc casu censetur prohibita appellatio, quam ab olutè negativæ quoad utrumque, quam sequi à temeritate non distaret, cum nimis rigorosa sit.

Quam regulam loco limitationis, ut declarares, volo: ut scilicet intelligatur, quando sententia lata est in favorem attentatum passu, non tamen quando contra ipsum, & in favorem adversarii attentantis lata sit, quia cum hoc appellationis prohibendæ privilegium inter cetera à jure in favorem passu inducatur, in ejus damnum retorqueretur, si à revocatione attentati negata non sibi permitteretur appellatio quoad utrumque, juxta regul. text. in l. quod favore, C. de legibus, imò loco privilegii pœnam consequeretur, quod esse non potest, quia ordinata ad unum finem, contrarium non debent operari, & attentans, in cuius odium appellatio non suspendit, ex suo dolo, & malitia reportaret commodum, & sic foret ut ordinata ad unum finem, contrarium effectum operarentur. Itaque dicendum est, ut appellatio emissa à sententia revocationis attentati non suspendat, à negatione autem revocationis, & sic contra attentatum passum, & in favorem attentatis, posse passum appellare quoad utrumque effectum. Pro quo facit in his terminis propriis, quod ita consulit Augustin. Berouius consil. 51. in hac causa, versiculo secunda conclusio, n. 5. & sequentibus, lib. 3. ubi dicit, & probat, quod à denegata revocatione cujusdam sequestri, quod prætendebatur attentatum, & ex eo capite petebatur revocari, validè posse appellari ab ipso sequestrum attentatum passu, cui revocatio denegata est, ita ut præfata appellatione pendente nihil sit innovandum. Et facit etiam Egidius decisio 47. ubi appellatur, dum ibi supponit quod à sententia lata in attentatis contra utramque partem, utramque ab ipso appellasse, quod aliud foret dicendum si adversus attentantem solummodo lata fuisset, & hoc & notorium, & vulgare est, quod quando in favorem alicujus à jure appellatio prohibetur, ut ipsi privilegiato non censentur prohibita, sed permissa, quando adversus illum sententia fertur, sed integraliter suos effectus habeat, ut in pronuntiatione negativa hæredem non mittendum in possessionem, utentem remedio l. fin. Cod. de edicto, juxta stupendum dictum (quod vocant) Angeli in l. quisquis, num. 2. Cod. quorum appellat. non recip. & in sententia lata in possessorio contra spoliatum, juxta ea quæ latè Lancelot. in tractatu de appellat. perm. vel prohib. in possess. 2. 5. limi. regula per eum ibi posita, Jacob. de Sanc. Georgio in lib. fin. nu. 30. & Zuchard, nu. 443. Cod. de edicto divi Adrian. tollen. Ruginell. tract. de appellat. §. 2. cap. 3. sub n. 649. versus finem, versiculo appellabitur. Lancelot. tractatu de attent. 3. part. cap. 18. n. 89. Scaccia tract. de appellat. qu. 17. limi. 6. membro 6. nu. 38. fol. 350. Petrus Duernas regul. 44. fall. 1. Menoch. tractat. de adipiscen. remed. 4. qu. 100. n. 856. versicul. secundus, fol. 54. Achil. Personal. tractatu de adipisc. possess. n. 344. versicula vel & quoque, fol. 269. Petrus Surd. tractatu de alimen. titul. 8. privileg. 60. nu. 26. & 27. Tiraquell. tractat. le mort saist le vis, p. 6. declar. 6. n. 3. versiculo id autem. Cæsar. Contar. in leg. unica, in ampliatione, n. 113. versiculo non esse. Cod. si de moment. possess. & loquendo in sententia negativa alimento, 25. petitorum, ut appellatur quoad utramque, tenet Angel. in l. fin. sub nu. 1. ff. de appellatio. recip. quem referunt, & sequuntur Contar. ubi proximè, limi. 7. nu. 19. Petrus Surd. d. privilegio 60. nu. 24. in fin. & n. 25. & sequentibus, & signanter n. 23. in fin. Ruginell. tract. de appellat. §. 2. cap. 3. num. 68. Scaccia de appellat. qu. 17. limi. 7. num. 19. & seqq. qui numero 20. confirmat ex doctrina Angeli in d. l. fin. sub num. 1. quem referens sequi-

sequitur Contar. ubi proximè, & Ruginell. d. c. 3. n. 7. quod potest appellari à sententia, qua pronuntiat, annonam non esse distribuendam in usum militum (licet loquendo in possessorio, Marquesan. tract. de commissio. cap. 21. nu. 28. fol. 235. post Puteum, affirmare contrarium ausus fuerit.) Et idem contingit in sententia negativa, vel contra creditorem executionem instrumenti Cameralis, seu guarantee, seu sententiæ etiam petentem, quia tunc à lata sententia negativè concepta conceditur appellatio, licet ab affirmativè lata non admittatur iis in casibus, quoad suspensivum, ut suis locis commodius latius Deo dante diximus; præcipuè infra 3. part. p. 4. per totum, ubi multa circa hunc articulum congestimus omnino videnda.



CAPUT XIII.

Si à collatione, electione, confirmatione, præsentatione, institutione beneficii, aliisve actibus extrajudicialibus, appellationi interpositæ judex Ecclesiasticus non deferat: an, & quando violentiam facere dicitur: ubi exactè, quando judicialiter, vel extrajudicialiter in provisione beneficiorum processum fuisse, vel debuisse dicitur.

SUMMARIUM.

- 1 Extrajudicialis actus non recipit appellationem, nec causat attentatum.
- 2 Extrajudicialis actus est beneficiorum provisio, & collatio sui primevæ natura attentata.
- 3 Examen ad beneficium est actus extrajudicialis.
- 4 Extrajudicialis provisio beneficii non est interlocutoria, sed pro interlocutoria habetur.
- 5 Extrajudicialis institutio, aut confirmatio loco interlocutoria habetur.
- 6 Examen ad beneficium tanquam actus extrajudicialis non requirit citationem.
- 7 Provisio parochialis juxta formam Tri. non est judicialis, sed extrajudicialis.
- 8 Informatio qualitatium ad provisionem beneficii sit extrajudicialiter nullo citato.
- 9 Provisio ubi extrajudicialiter fit, collator non tenetur testes comparere, nec processum formare, nec illum publicare, sed extrajudicialiter animu suu informat.
- 10 Extrajudicialis provisio nõ requirit alicujus citationem.
- 11 Extrajudicialiter procedit executor ad beneficium, & de qualitatibus moribus, & vita, seu habilitate provisivi informatur extrajudicialiter nemine citato.
- 12 Executor non tenetur citare volentem opponere impetrantem non esse idoneum.
- 13 Extrajudicialiter procedunt regulariter executores ad beneficia.
- 14 Dispensationes matrimoniales commissa ordinario juxta earum clausulam, extrajudicialiter informationem appetunt.
- 15 Executor dispensationis matrimonialis potest testibus non stare, si aliter de veritate sibi constet, & executionem suspendere.
- 16 Extrajudicialis provisionis, & processus difficile est probare injustitiam, cum tam per scripta, quam per non scripta judex animum suum informat.
- 17 Extrajudicialiter procedit executor qui injustum dixerit, aliunde tenetur verificare injustitiam, quia pro actu extrajudiciali præsumitur, non vero gravamine.
- 18 Extrajudiciali in provisione conferens non ut judex, sed ut privata persona procedit.

Salgado de Protect. Reg.

- 19 Executor collatoris non habentis jurisdictionem, potest se extrajudicialiter informare.
- 20 Extrajudicialis appellatio est si interponatur à parte vel a judice ante judicium ceptum.
- 21 Extrajudicialis actus nunquam transit in rem judicatam.
- 22 & 23 Executor executoris extrajudicialiter procedens de jure non citatis saltem jus reservat.
- 24 & 25 Ab extrajudiciali gravamine duo oriuntur remedia, appellatio intra descendium, recursus extra illud.
- 26 A gravamine peraguatorum, hoc est, repartidores de pechos, appellatur intra duos menses à die notitia gravaminis.
- 27 Sententia non proferitur, ubi deficit judicium & litis pendencia.
- 28 Extrajudicialiter procedens executor gratia nullam refert sententiam, sed gratiosam executionem.
- 29 Extrajudicialiter facta institutio, collatio, seu provisio beneficii fieri potest die feriato, secus si judicialiter.
- 30 Forma juramenti, de qua in c. ut circa, de elect. lib. 6. servanda in appellatione; procedit, quando electio fit extrajudicialiter, secus si judicialiter.
- 31 Extrajudicialiter potest Episcopus extra diocesim instituere, & confirmare, secus si judicialiter.
- 32 Actus quales geri possunt extrajudicialiter, diocesim, seu provinciam, remittit.
- 33 Provisio beneficii facta servata sua primevæ natura, non recipit appellationem.
- 34 Provisio beneficii judicialis sit cum contradictore legitimo, & requiritur definitiva pronuntiatio.
- 35 Judicialiter proceditur in provisione beneficii, vel ex voluntate collatoris, vel ex juris necessitate, prout natura negotii postulat, & seqq.
- 36 Executor an beneficium regulariter non tenetur partes judicis assumere; si non vult, secus si vult, quia tunc potest judicialiter facere provisionem.
- 37 Extrajudicialis actus potest judex, vel executor judicialiter celebrare si vult.
- 38 Judicium mutare in majorem causa cognitionem parte non contradicente, nullam causat nullitatem, secus si in minorem.
- 39 Judicis partes assumere in provisione beneficii, quibus casibus judex ex necessitate tenetur juris.
- 40 Judicis partes assumere tenetur judex in provisione beneficii, quando commissio, aut dispositio utitur verbo (judicium) quod in judicialibus, non extrajudicialibus verificatur.
- 41 Extrajudicialia, & judicialia sibi invicem contraria sunt, & repugnantia.
- 42 Extrajudicialis actus nunquam transiunt in rem judicatam, ex quo in eis judicium deficit.
- 43 Dicitio (judicium) quam habeat significationem.
- 44 Judicis partes assumet judex in extrajudicialibus, si commissio faciat mentionem dictionis (lis) qua verificatur in judicialibus, & lite contestata.
- 45 In extrajudicialibus actibus non dicitur lis introducta.
- 46 Per extrajudicialem actum beneficium nec res dicitur litigiosa.
- 47 Ab extrajudiciali actu per appellationem etiam coram superiori presentatam non dicitur beneficium litigiosum, nec litem pendere.
- 48 Judicis partes assumere tenetur executor sive dispensationum, sive gratiarum, sive continent clausulam (vocatis vocandis) vel quod citetur aliquis.
- 49 Executor merus tenetur assumere partes judicis, si adsit clausula (citatis citandis).
- 50 Executor merus vigore clausule (citatis citandis) efficitur mixtus.
- 51 Executor vigore clausule (vocatis vocandis) nõ tenetur assumere partes judicis si nullus appareat contradictor

- 52 Informatio sumenda pro habilitate provisi ad prabendam sit absque partis citatione.
- 53 Informatio pro habilitate provisi sit absque testimonio, & absque processu judiciali.
- 54 Informatio ubi sit sumenda inhabilitatis, jam electi, aut promoti, ut privetur, debet fieri judicialiter, & eo citato.
- 55 Judicis partes tenentur assumere executor, si mandatur procedere cum causa cognitione.
- 56 Causa cognitio ubi requiritur, citatio necessaria est.
- 57 Judicis partes tenentur iudex assumere in provisione beneficii, si compareat legitimus contraditor opponens, legitimas exceptiones, qui judicialiter audire debet.
- 58 Judicialiter fiet institutio, & presentatio, si proposito edicto compareat aliquis de jure patronatus opponens, vel contra presentatum.
- 59 Et quibus temporibus he exceptiones opponantur, ut primæva natura provisionis alteretur, & judicialis efficiatur.
- 60 Institutio, & confirmatio fiet extrajudicialis, si appareat legitimus contraditor, vel compræsentatus aliquid obiciens.
- 61 Et idem si promotor fiscalis opponat contra presentationem, vel presentatum.
- 62 Institutio si fiat cum legitimo contraditore, sententia fertur diffinitiva, secus nullo comparere contraditore.
- 63 Confirmationi petita si nullus se opponat, non requiritur libellus, nec litis contestatio, nec diffinitiva sententia.
- 64 Executor beneficii non tenetur judicialiter procedere, secus si compareat aliquis prætendens aliquod præjudicium, qui judicialiter audir.
- 65 Executor gratie, sive cum clausulis sonantibus nominationem, sive conditionem tertium comparentem audire tenetur, saltem in via summaria.
- 66 Executor tenetur citare, & judicialiter audire existentem in possessione etiam de facto.
- 67 Executor tenetur citare, & audire judicialiter, quem commissio præjudicat, ut si dicatur, si tibi constiterit N. esse biganum, beneficium ejus conferas.
- 68 Executor gratie tenetur judicialiter procedere, si adest intrusus, aut alius contraditor appareat.
- 69 Executor non tenetur amovere possessorem non citatum, etiam si commissio careat clausula (citatis citandis.)
- 70 Per executores data possessio non citato possessore dicitur intrusa.
- 71 Executor ad dispensationes matrimoniales tenetur judicialiter procedere si compareat contraditor.
- 72 Etiam si adversarius ipse existat à principio, quia citandus est.
- 73 Extrajudicialis provisio qualiter per contradictorem reddatur judicialis, redditur ratio, & seqq.
- 74 Libellus oppositionis contra provisionem beneficii non est provocativus, sed exclusivus.
- 75 Contradictio ubi datur, & ibi accessorie instantia datur.
- 76 Instantia quid sit.
- 77 Lis quando efficiatur ex comparationibus per presentatos coram ordinario.
- 78 Judicialiter fuisse factam provisionem, cognoscitur, quando adest concursus oppositorum formantium inter se contradictionem.
- 79 Contradictio, & instantia in articulo data, ibi etiam cause cognitio danda est.
- 80 Cap. ut circa, & cap. constitutio, de electio. lib. 6, interpretatur.
- 81 Provisio beneficii à quo tempore per oppositionem incipiat effici judicialis.
- 82 Concil. Compostellanum loquens de objectionibus oppositis electoribus in provisione Doctoralis, Magistralis, &c. declaratur.
- 83 Executor beneficii per citationem an videatur iudici, aliter procedere.
- 84 Citatio non pertinet natura actus extrajudicialis.
- 85 Citatio non expeditur nisi à iudice jurisdictionem habente.
- 86 Judicialiter tunc in provisione processisse cognoscitur, quando collator facit actum, qui à privato fieri non potest sed à iudice, tanquam iudice.
- 87 Citatio est actus de processu iudicii, & inter judiciales actus computatur.
- 88 A citatione processus tanquam à capite substantiali, exordium sumit.
- 89 Judicialis actus est interloqui, non extrajudicialis
- 90 Jurisdictionem supponit interlocutoria.
- 91 Citatio est sententia interlocutoria.
- 92 Citatio non expeditur à iudice in die feriato.
- 93 Effectus quando non solum prohibitus, sed & ipse actus non sufficit effectum conferre in tempus permissum.
- 94 Citatio litis pendentiam inducit, ad hoc etiam ut nihil pendente eo innovetur.
- 95 Potentia magis in effectu monstratur.
- 96 Citationis intimatio est actus extrajudicialis.
- 97 Extrajudicialiter qui potuit procedere, si partes iudicis semel assumat, an possit ad extrajudicalem processum redire.
- 98 Summarie qui potest procedere, si procedat via ordinaria, an possit redire ad summariam.
- 99 Felini opinio refertur circa executionem, qui potuit procedere extrajudicialiter, & judicialiter processit, an possit redire ad extrajudicalem.
- 100 Arbitrator, & arbitrator datus an possit judicialiter, & extrajudicialiter simul procedere, & variare.
- 101 Extrajudicialiter qui potuit procedere, si judicialiter incipit, non potest variare, ut verius resolvitur.
- 102 Ut arbitrator, & arbitrator simul electus, si semel partes iudicii assumat, non potest redire ad viam extrajudicalem arbitratoris.
- 103 Via semel electa per arbitratores, & arbitrium simul, sibi debet parere.
- 104 Variatio præcipue personis Ecclesiasticis prohibetur.
- 105 Electio expressa iudicis assumpturi partes iudicis, non potest variare, & redire ad extrajudicalem cognitionem.
- 106 Renuntiatio tacita resultans ex facto contrario maxime in iudicio, idem operetur quod expressa.
- 107 Arbitrator judicialiter, arbitrator extrajudicialiter debet procedere.
- 108 Arbitrator, & arbitrator simul electus ex modo procedendi detegitur, qua uti velit potestate.
- 109 Potentia cause efficientis arguitur ex efficacia effectus.
- 110 Ad viam executivam non potest redire, qui semel intentavit ordinariam, nisi aliter protestetur creditor, ibid.
- 111 Causa semel effecta ordinaria, semper remanet ordinaria, & appellabilis.
- 112 Iudex qui potuit procedere summarie, si procedit ordinarie, valet processus.
- 113 Exequi non potest obligatio in forma Camera aperta semel via, ut de falsitate cognoscatur.
- 114 Natura rei semel alterata, semper remanet alterata.
- 115 Citatio facit legitimam personam citatum, etiam non citandum; saltem ut ante executionem de suo jure audiat, & expectetur.
- 116 Citatus non citandus sit legitimus contraditor, ut audiat.
- 117 Extrajudicialis, & judicialis processus sunt adinvicem repugnantes, & incompatibiles.
- 118 Processus totius unum dicitur continens, etiam si plures contineat articulos.
- 119 Potestas utraque judicialiter, & extrajudicialiter procedendi concessa, sive per copulativam sive per conjunctivam, non potest eodem tempore simul ita procedere, nec variare.

Copulati-

- 120 Copulativa opposita inter incompatibilia, resolvitur in distinctivam.
- 121 Executor beneficii si assumat partes iudicis, ubi ad id non tenebatur, omnino debet servare formam iudicii.
- 122 Executor licet admittat articulos, & juxta illos examinet testes non dicitur judicialiter procedere.
- 123 Constitutio Pii IV. super apponendo sequestro beneficio reservato judicialiter, & extrajudicialiter, interpretatur.
- 124 Dicitio (constiterit) poterit sui natura ad extrajudicalem cognitionem referri.
- Dicitio (summarie) ad judicialem refertur, ibid.
- 125 Sequestrum beneficii reservati juxta constitutionem Pianam potest iudex apponere via judiciali, & extrajudiciali simul.
- 126 Tridentini sess. 22. de reform. c. 5. dum de dispositionibus ordinariis committendis loquitur, dicitque procedere posse summarie, & extrajudicialiter, interpretatur.
- 127 Executor dispensationis matrimonialis tunc tenetur citare, quando adest contraditor, non aliter.
- 128 Clausula (vocatis vocandis) non ardet procedere judicialiter, nec citare, ubi non comparet contraditor.
- 129 Arbitrator effectus ut possit judicialiter, & extrajudicialiter procedere simul, utraq; non utitur potestate.
- 130 Cap. nisi essent de præbendis, interpretatur.
- 131 Argumentum valet ab etymologia vocabuli.
- 132 Delegata, & ordinaria potestate potest quis simul uti.
- 133 Executor suus procedens judicialiter, etiam si ad id non teneretur, non potest variando ad viam judicialem redire, nec utraque simul uti.
- 134 Secus sit caput procedere extrajudicialiter, quia potest ad judicialem viam procedere.
- 135 Extrajudicialiter, & judicialiter simul procedendi si in commissione, lege, aut compromisso facultas detur, vel una via electa possit ad aliam redire; tum iudex poterit variare, & simul utroque modo procedere.
- 136 A iudice procedente extrajudicialiter, cum debeat procedere judicialiter, vel ab ipsa simul utraque via procedente, appellationi deferendum est.
- 137 Ac inordinato processu, & ejus intricacione appellatio licita est quoad utrumque effectum.
- 138 Institutio, & confirmatio facta cum legitimo contraditore non adhibita causa cognitione, nulla erit.
- 139 140 & 141 A iudice procedente judicialiter, & extrajudicialiter simul (in casu quo sic procedere quis) appellationi emissa an sit deferendum.
- 142 Variare modum procedendi judicialiter partim, & partim extrajudicialiter in eodem articulo non permittitur, etiam habenti facultate simul procedendi.
- 143 Judicialiter quando executor, seu collator tenetur procedere in provisione beneficii, sive sua sponte, sive ex necessitate juris; debet omnino servare formam iudicii, summarie tamen.
- 144 In provisione beneficii judiciali pre oculis habere debet iudex, Clem. lape, de verbor. signif. & de natura clausularum summarie, simpliciter &c. & seq.
- 146 Stylus curie ubi causa tractatur, non curia delegantis attenditur.
- 147 Stylus Romane Curie ad alia loca in partibus non extenditur.
- 148 Summarie ubi procedi debet, processus formandus est in forma judiciali, quia substantialia iudicii non tolluntur.
- 149 Juramentum de calumnia est actus judicialis, non extrajudicialis.
- 150 Materia opposita sub aliquo rubro iudicatur ejus esse nature cujus est rubrum.
- 151 Casus violentie de facto refertur.
- 152 Verba iudicis debent intelligi secundum mentem juris.
- 154 A provisione beneficii appellationi emissa, an sit deferendum disceptatur.
- Lambertini opinio refertur ibidem.
- 154 Cevallos opinio refertur circa appellationem admittendam à provisione Capellania.
- 155 A provisione beneficii extrajudicialiter facta appellationi emissa deferendum non est.
- 156 A provisione beneficii judicialiter sua primæva natura alterata facta, appellationi deferendum, quia causat attentata.
- 157 Qui hanc teneant distinctionem in omni provisione, presentatione, seu institutione, referuntur.
- 158 A provisione ex sententia, qua declaratur jus patronatus, appellatio & est licita, & causat attentata.
- 159 & 160 Provisio beneficii extrajudicialiter, an extrajudicialiter fuerit facta pre oculis habet Rota, ad admittendam, vel denegandam appellationem.
- 161 A provisione omnium beneficiorum, collatione, electione, confirmatione, institutione, appellationi deferendum quoad utrumque effectum, si judicialiter, sit actum.
- 162 Capellania à provisione facta judicialiter appellatio deferenda, & vim fieri dicitur decernit Senatus regii.
- 163 Senatus aditus per viam violentie ob appellationem à provisione Capellania, quandoque vim fieri, quandoque vero vim non fieri, decernit, attenda natura provisionis extrajudicialis, aut judicialis.
- Cevallos communiter à Doctoribus reprobat, ibid.
- 164 Lambertini opinio notatur, & animadvertitur, litteram esse corruptam.
- 165 C. constitutis, el. 2. de appellat. interpretatur, ut loquatur in provisione beneficii extrajudiciali.
- 166 Actus consecutivi non causant attentata.
- 167 Parochialis provisio quocumque modo facta, non suspenditur per appellationem juxta Trident. & motum proprium Pii V.
- 168 Parochialis provisio per sententiam judiciali qua declaratur jus patronatus, non suspenditur per appellationem.
- 169 Trident. & motus proprius declarantur circa provisionem Parochialium.
- 170 Periculum infertur animabus ex longa Parochialis vocatione.
- 171 Parochiali multa assignantur specialitatis rationes animarum periculi.
- 172 Animarum cura continet magnum periculum, cum sit ars artium.
- 173 Trident. & motus proprius si intelligerentur de tollenda appellatione in Parochialis provisione extrajudiciali duntaxat, nihil specialitatis continerent ultra jus commune.
- 174 Celer. qua desiderantur, appellationem non recipiunt.
- 175 Dicitio (nulla) est distributiva pertinens ad plura, nec potest de uno tantum prædicari.
- 176 Appellationis prohibitio in Parochialibus, est privilegium
- 177 Privilegii ita faciendæ interpretatio, ut aliquid specialitatis contineat.
- 178 Et ut aliquid addat juri communi.
- 179 Interpretari ita debet omnis dispositio, ne superflua reddatur, etiam in materia stricta & pœnali.
- 180 Trident. dispositio circa provisionem appellationem non obstante est specialis in Parochialibus, quæ ad cetera beneficia non trahitur.
- 181 Appellari prohibens statutum ab interlocutoria aliqua intelligitur, etiam quando jure communi licita erit appellatio.
- 182 Egidiana prohibens appellationem in possessorio, intelligitur etiam, ubi alias permissa erat.
- 183 Appellatione remota si committatur causa possessoria, intelligitur etiam remota in casibus specialibus, quibus licita erit appellatio.
- 184 Appellationem prohibens statutum in possessorii operatur in casibus, quibus jure communi permissa erat.
- 185 Clausula (appellatione remota) in possessorio operatur etiam in casu speciali, quo erat alias appellatio permissa.